

quum omni creaturæ invisibilis, ab ipsis ex operib<sup>9</sup> cernitur. Omnia enim quæ in aëre fiunt, & in terra, Dei opera reverè esse, quis dixerit qui Mundo præest. *Eleganter etiam Nazianzenus orat. 2. de Theol. ait: Quemadmodum qui citharam affabrè constructam & elaboratam conspicit, ejusq; concentum audit, ipse cithradum animo reputat; ita is, qui Mundi harmoniam percipit, Mundum à divino Conditore & architecto creatum intelligit.*

II. Modi autem & viæ quibus intellectus humanus suis remigiis subvectus, in præstantissimi hujus Numinis cognitionem penetrare possit, tres passim recensentur ab Autoribus. (1.) est *via Causalitatis*, quando nimirum intellectus noster sibi relictus, dum Mundi hanc Machinam considerat, & quæ in ea continentur, universa tam admirabili & conveniente ordine esse constituta, & cottidiè tam sapienter gubernari animadvertit, ascendit ad aliquam causam, atq; adeò cum non detur progressus in infinitum, à quo & ratio, imò tota natura abhorret (vide Philosophum II. Met. c. 2. v. II. Phys. c. I. IX. Phys. c. 5. t. 34. & I. Post. analyt. c. 16. 17.) colligit eam causam esse Deum, quia ipse est Ens nobilissimum atque perfectissimum. (2.) *Via Eminentia*, quia enim omnis perfectio, quæ est in effectu præexistit in causa vel formaliter vel virtualiter seu eminenter, i. e. ita, ut vel ratio formalis ejus vel conceptus quidditativus, vel saltem nobilior quid cum vi effectiva illius perfectionis quæ est in effectu in causa inveniatur. Juxta B. Stahl. Disp. v. Reg. II. Part. I. Reg. Philosoph. ideò ulterius progreditur intellectus noster, & eas, quas in creaturis deprehendit perfectiones, Deo etiam tribuit, sed longè eminentiori & nobiliori modo, ita ratiocinans: Quæcunque perfectiones sunt in creaturis, illæ sunt etiam in Deo vel formaliter vel eminenter, modo tamen nobiliori. Atqui esse